



DEUS NOBISCUM!

Variis iisque truculentissimis morborum generibus hominem post pomum incautè comestum divexari, & ineffabilibus cruciatuum miseriarumque agminibus infestari, neminem latere potest. Multæ morborum *μυριάδες* & dolorum phalanges in nostram, dum hic agimus, conjurant perniciem. Hostium horum quidam cælum microcosmi, cyclosum adinstar, ascendere tentant; quidam Solem, fontem illum vitæ, crudeliter invadere non verentur; quidam ferali suâ immanitate ægros ita torquent, & excruciant, ut ad insaniam redacti, sæpè ad spontaneum turpissimumque mortis genus, ceu ad certam salutis anchoram confugere non erubescant. Horum in tortorum familiâ & profapiâ non infimus est dolorificus ille atque truculentissimus adfectus, qui corporis articulos, microcosmi, minorum gentium, civitates atque domos infestare oppugnareque assolet. *PODAGRA* nempe est; cujus naturam & causas intimiùs examinare constituimus. Operi huic benedicat *D E U S O. M.* ex alto!

CAPUT I

*ὀνομασλογία, ἔτυμολογία ἔσ' συνωνυμίαν
continet.*

Podagram arthritidis speciem esse, omnibus constare putamus. Derivatur autem *δοθρίτις*, autore Galeno 2. *θεραπευτικῆς μεθόδου* cap. 2. ἀπὸ τῆς ἄρθρου, à membro vel parte affectâ seu læsâ, & est *ξηνὸς ἀπάντων τῶν ἄρθρων πόνος*, communis omnium articularum dolor, juxta *Aræteum de diuturn.* lib. 2. cap. 12. Stricliùs verò quando sumitur, speciale fortitur nomen à parte vel membro adfecto, &

A quidem